

Mantissa epistolica ad controversiam de argumento cartesii pro existentia Dei

Autor(en): **Heideggerus, Gotthardus**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1746)**

Heft 4

PDF erstellt am: **07.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394590>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern. Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

MANTISSA EPISTOLICA

Ad (*) Controversiam de Argumento
 CARTESII
 pro Existentia Dei.

GOTTH. HEIDEGGERI
 ad V. Cel. S. WERENFELSIUM
 Epistola.

Quas ad me dignatus es exarare literas, datas VI. Non. Martias, redditæ mihi sunt pridie Kal. Mart. st. v. Sed, ut ex forma Sigilli apparuit, reſeratae & introſpectæ a nonnemine, qui tamen cate ſatis cavit, ne indagari poſſet: Tu fortassis aut ſcies, aut felicius ſaltem ſuſpicaberis. Nolui autem reſpondere, quin prius, captata commoda occasione egiſſem cum Celeb. D. *Suicero*, atque adeo haberem, quod

(*) Agitabatur iſthæc Controverſia ſub hujus ſeculi auſpicia inter Viros Clariffimos, *SAM. WERENFELSIUM* & *J. H. SUICERUM*. Extat inter Opuscula Venerandi τῆ νῦν ἐν ἀγίοις *Werenfelfii* Tom. II. p. 214. ſeqq. Summi hujus Theologi Baſileenſis ad *Deoduraum Gentangulum*. h. e. GOTTH. HEIDEGGERUM ſuper hac lite Epistola graviffima, qua totam hanc Cauſam ad ſagaciffimi hujus Viri Judicium refert: Quid deinceps inter illos actum ſit, hæc Epistolæ biga edocēbit. J. B.

quod legere cuperes ; nam tecum de meo solum sensu penique colloqui religioni merito duxissem, non enim ita abundas otio ; ut debeas meis aliorumve mei similibus, simplicis intelligentiæ fratrum, frigidis ineptiis occupari. Nunc autem fortassis non iniquum Te cognoscere, quod ut facias humillime etiam atque etiam rogo obsecroque. Gravissima, Vir Exc. profecto est Epistola illa ad me Tua ; pugnant in illa cum summo iudicio, summaque eruditione rerum pondera, qualia a nulla alia suada intorqueri posse rear ; sed patere dicam, non ideo carere festiva jocularique scena ! Nam, ut taceam exordium, in quo inficeti tractatuli mei, quem pro mei similibus tumultuarie deproperatum Tibi quoque [pudet heu!] obtrudendum putavit Cl. *Zuinggeri* nostri festivitas, tam honorificam mentionem facis : Ut, inquam, hoc taceam, sane illud alterum mirifice est facetum, quod Tuo quoque suffragio velitatio illa, quæ Tibi cum Cl. SUICERO intercedit, dijudicanda mihi relinquatur. Scilicet ut olim lividinantes Deæ pastorem iudicem in montibus Idæ quæsiverunt ; ita Vos Viri incomparabiles volueritis hominem rurestrem, diobolarem, vestrarum subtilitatum æque gnarum ac fraterculus quispiam Cumanus lyrae est, Arbitrum legere ! Absit profecto quemquam Vestrum tam scite joculari posse, ut illud mihi per somnum arrogem ! Et tamen, si forte tam bliteus essem, ut putarem me capere arduum illud diffensionis vestrae argumentum, non ideo eo dementiæ processerim, ut de modo diffensionis ; de quo tamen epistola tua unice tractat, statuere me posse, aut debere existimarem. Unum igitur

igitur illud arripui, quod sub finem epistolæ mihi injunxisti, conari, nempe de placando Cl. SUICERI, rationibus abs te subministratis, animo, constabiliendoque rursus æternæ amicitiae fœdere, eique rei ita dedi operam, eoque cum fructu, quem mox dicturus sum; tanto enimvero lubentius, quod, ut ipse innuis, dudum illi Viro sanctissima observantia fideque me dederim, inductus tum aliis præclarissimis ejus meritis, quæ notiora sunt, quam narratu meo ut opus sit; tum præcipue, quod Vir iste visus semper mihi sit non calcata candidior nive, atque porro quovis oleo tranquillior, ut mirifice mirer evenire potuisse, ut neglectæ tantillum modestiæ venerit postulandus? Ceterum nolim Te, V. E. ideo credere, me cæca quadam & quidvis serviliter adprobaturum necessitudine ipsi esse addictum; quo profecto si essem more moratus & aliam harum quæsissem & unctiorem fortasse rem invenissem. Immo vero in hac ipsa materia libere loquendo & obloquendo nonnulla ipsi extiti occasio edendi nuperi sui scripti; nam precibus, quibus ipsum extimulasse me fateor, forte tantum non tribuisset; accessere tamen & aliæ causæ, de quibus post. Interim si colui hætenus Cel. Suicerum, notum mihi; non ideo, V. E. quamquam nunquam visum, minus semper profunda cum reverentia & admiratione colui, adhucque colo: Testis mihi loquax Cl. *Zuinggerus*, qui mihi vel ideo oculis meis magis charus, quod copiam mihi fecerit legendarum plerarumque incomparabilium lucubrationum Tuarum, qua voluptate vix unquam ulla mihi accidit sapidior. Quid multis? testis mihi esse possit ipsemet D.

Suicerus noster, quicum, dici non potest quoties mutui mihi intercessere sermones de Te, quibus ab illo non minus quam a me ob incomparabilem ἀρχινοίαν eruditionemque laudibus in cœlum evehebare. Prolixus essem in hoc argumento: Sed tu curas scilicet quanti a me fias! At de illo forte, quæ ergo causa inquis, tam subito exasperati? Dicam [ut decet judicem etiam joculari,] libere & vere; quemadmodum tum ex ipsius Viri ore his diebus audiui, tum e variis rei gestæ circumstantiis observavi. Ipse quidem non videtur agnoscere, se adeo atrociter esse locutum, existimatque pleraque immo omnia benigniorem, si placuisset, explicationem fuisse admittura. v. g. illud de *Equo Trojano* non potest non extra scopum dilatatum censere, & sic de ceteris singulis. Mirari quoque videtur, tantine fuerint pauculae quædam voces πτερόεντι potius stylo, [quem cuique suam peculiarem esse novimus, nullisque ædilibus subjectum,] quam animo imputandæ, ut ob eas tempestas velut in simpulo excitari debuerit, quod quidem absit abs Te factum quis dicat, sed factum est fitque adhuc ab aliis quibusdam, qui cum iis hic neque seratur neque metatur, Te ipso longe sunt iratiores, & juxta Poëtam, perinde ac conducti ad funera plorantes dicunt & faciunt prope plura dolentibus, atque adeo, ne modum tenuisse *Suicerum* ostendant, ipsi vix aut ne vix quidem modum tenent. Ceterum iste fortassis quoque pertensurus est, neque tuum scriptum carere aculeis, ejusmodique phrasibus, quæ benigno interprete perinde opus habeant. In eo etiam quod de Theologorum quorundam inadvertentia, non poscente, ut videbatur, proposito,

sito, adpersisti, vix non credidit vapulasse se-
cum manes τῆ μακαρίτησ Heideggeri nostri. Porro
causas habuit [veras an verisimiles non refert,]
credendi, Judicii Tui illam balistam, in se unice
fuisse intentam. Et mirum sane fuit, a tot mor-
talibus, vestratibus quoque, & vix non a Te-
metipso responsionem unice & nominatim a *Sui-
cero* fuisse expectatam, [cujus rei ex parte ipse
testis esse possem, ni majus opus scilicet move-
rem, judicemque potius agerem,] antequam
iste in animo habuisset, immo cum aut vix aut
nondum judicium tuum vidisset, a me enim pri-
mo, satis id sero accepit. Non pauca ejusmodi
acciderunt, quibus & alii inducti sive crediderunt,
sive erraverunt unum hunc peti Volcentem. Vel-
let quoque Cl. *Suicerus* Te considerare, adeon' im-
portune impatientiorem, si tamen talem se præbu-
erit, tot cottidie ferme undique stylis fodicatus
& laceratus? Nosti sine dubio, quam nuper *Coc-
ceii* nomine acriter vapulaverit, a quibus ictibus
repellendis vix respirans videt alium objectum
nodum, & sese quoque *Cartesi*, velut alterius
Tyndaridis, nomine, omnium, non sine ma-
ligno risu, signari oculis, sua nunc promissa re-
posci! Fateor equidem, & rem satis indignam
esse fateor, neque Candor Tuus diffitebitur,
Virum illum, cum inter oppido paucos Litera-
rum gloriam in Schola nostra adhuc sustineat,
crebro satis exedere cogi, quæ non intrivit, aque
multis, quos tamen nullo non februum genere
placare sæpe conatus est, sic satis inclementer ha-
beri, in quorum turba cum & Tu, V. E. quan-
quam & fortuito, & innocens, & amicissimus
cætera Viro & modeste agens, comparueris,

quid mirum & erga Te illi frontem nonnihil striatam vel fuisse, vel visam fuisse? Num quid etiam mansuetissimus quisque certis momentis non blandientibus quoque asper inveniri potest? Sed deflexi ab officio Judicis, redeo in thronum, venioque ad illam querelam de suggillata Celebrissima Academia vestra: Hujus vero culpæ *Suicerus* minime omnium reum se fateri vult, pernegat quicquam huic se imputasse, ut qui procul ita faciendi causas habuerit, sed notasse tantum, ait, censuras malaque officia, *non ab illa, sed a quibusdam in illa vitæ mimum agentibus sibi aliisque nostratibus exhibita*, atque ne præter rem fecisse videretur, copiosum mihi syllabum textit, e quo quædam ipsum spectantia, ut suggerit memoria, innuere non erit alienum. Basileenses ergo fuisse, ait, qui cum ob *Fata* sua vexaretur, nostros acerbissime stimularerint; qui vexaverint paragraphum ex *Apologia* sua vernacula excerptum de *abolitione Antichristi*: Qui propter scriptum *Antispanhemianum* & nostros concitaverint, & Aroviano Conventui illud obtruserint: Qui suam de Creatione animæ & peccati propagatione sententiam a primariis Ecclesiæ Reformatæ Doctoribus haustam critico veru confixerint. Porro cum de *Jure Magistratus circa Sacra* disputasset, circumlatam esse Tiguri epistolam, ceu Basileæ a nescio quo scriptam, satis virulentam, qua doctum fuerit immane quantum abhorrere Basileam vestram ab his aliisque Viri hypothesis, quæ quidem epistola multis mihi conjecturis sese supposititiam probasset, nisi religio esset, maximos Viros, qui illa, ut tali, libenter contra D. *Suicerum* usi sunt, talium artium vel capaces credere,

re, vel reos. Hæc & similia, quæ lubens prudensque prætereo, ponderaturis non credit Vir ille insolens iri visum, quod data occasione memorem se sensuque non carentem testatus sit. Videtur jam & illud abs te cogitari velle, Scriptum tuum comparuisse ἀδέσποτον, nec certe ipse, cum manum injiceret, pro certo autorem scivit, neque ego, qui a Cel. *Zuingero* in aurem dictum scieram, ipsi aperui, quod te latere malle suspicarer. Meminisse D. *Zuingerus* potest, me id ipsi ita scripsisse. Neque etiam defuit vestras quidam, minorum is quidem gentium, alibi jam degens, qui sese confidenter autorem venditavit & forte adhuc venditat, nisi a me ipso confusus jam sapit; cui quidem mortali profecto non pauci credidissent, nisi vidissent tantam, quæ in judicio comparet, maturitatem atque eruditionem non vulgo exsculpi e quercu, non juvenulo alicui, sed versatissimo & non e multis Viro esse tribuendam. Interim nullam [ait porro *Suicerus*] videri necessitatem cur *Werenfelsio* quis impacta putet, quæ Titio potius *Semproniove* ingesta sunt, ingestaque videri possunt. Plura ejusmodi, quæ non memini, nam ne hæc quidem fortassis recte memini, & D. *Suicerus* & res ipsa in tribunali scilicet sedenti responderunt, quibus ego impeditus, horrendi carminis legem pronunciare, aut tela trifulca manu mittere hactenus non sustinui, recte potius atque ordine me facturum putavi, si fierem de iudice *Μεσίτης*, aut de Consule Rhetor, quemadmodum & ipse quoque hoc potius, quam quidquam aliud a me exigere visus es. Quapropter rationibus a te supeditatis Cl. *Suiceri* animum, qua potui persuasionis

sionis arte adortus sum , literas quoque tuas ,
 quod suavissima humanitate totæ fere stillare immo
 undare , & ad illum potius , quam ad me scrip-
 tæ viderentur , ipsi commonstravi , tandemque
 serio , ac non sine additis rationum momentis
 obsecravi , ut paces confieri pateretur : sed risu
 syncrusio hos anxios sudores meos profecutus
 negavit tanto isto apparatu opus fuisse , non esse
 se jamdudum , nec velle esse videri de Demea-
 rum morosorumque natione , quibus frons per-
 petua caperet severitudine , neminem unquam
 antehac priorem a se perstrictum , nedum læ-
 sum. &c. multa in hanc rem addidit , quæ lon-
 gum esset singulatim afferre , e quibus ego con-
 jicio , inclinare ipsius animum ad non pacem dun-
 taxat , sed arctissimam necessitudinem , Tecum ,
 si non dedignere , jungendam & ferruminandam ,
 [quod evenire nemo probus , nemo sanus est ,
 quin vehementissime optet , & utrinque vehe-
 mentissime suasurus sit ,] & siquidem forte victus
 jam abs Te quibusdam videatur Humanitate ; cer-
 taturum aliâs quam gnaviter & palam facturum ,
 quanto te loco habeat &c. Huc , inquam , incli-
 nare candidissimum Viri animum certum habeo ,
 non imaginarium. Patere igitur , Vir summe ,
 ut & Te quam humillime orem exoremque , ne
 non iisdem passibus viro occurras , niveamque ,
 quam adeo egregie jam probasti mansuetudinem ,
 exædificare pergas , neque adeo aures dedas in
 ditionem Ciniflonum quorundam aut Misenorum
 [qualium Basileæ quoque felicem esse annonam
 cur ambigam ?] quibus nihil accidere posset ju-
 cundius , quam Vos , primaria Patriæ lumina vi-
 dere commissos & paratragœdiantes in re Comi-
 ca.

ca. Temporum nostrorum , quibus tam pauci aliqui sunt, cognitione veritatis, quæ secundum pietatem est, altius saniusque imbuti, spissaque alia ratio sine dubio vos invitat, ut positis simultatibus præcipue e diffensione & verbulis non adeo gravibus, certe non capitalibus, ortis, velitis porro sociatis animis & operis propagandæ pietati, & liberali illi liberæque Sophiæ, ad quam asserendam unice nati factique uterque videmini, totoque in orbe suspicimini, incumbere. Quod si visum fuerit materiam de Argumento Cartesii reciprocis exercitationibus porro erudere [nam sane audio neutrum vestrum velle videri jam ἐκτελοῦσθαι πάντα βέλῃ] sine dubio gratas grates laudesque immortales orbis literatus vobis acturus est: Nemesis saltem & dentariam abesse optabit, atque, ut confido, impetrabit. At quis, inquires, tu homo es, qui tam confidenter oratorem & consiliarium te nobis obtrudas? Auricomus, inquam, cum magno suo Apolline: sed fateor, Vir incomparabilis, fateor nauci, flocci, nihilque mortalis sum, certe non dignus, qui præ vobis figam palum in parietem. Verum quid facietis? Potui non sine colore abuti ea vestra humanitate, qua uterque tam copiose sermones super isto negotio mecum cædere dedignati non estis. Tulit me, qui alioqui ita Titanicum tuetur, *Suicerus*; Fer & tu V. E. atque cogita matris meæ filium non alium fuisse, ad quem primum inopinato plane delata est controversia quamprimum controversia fieri cœpit. Nullo meo commodo, assentior Tibi. Nam ut extranumerum habeam, quæ tu mihi inde incommoda auguraris; quotusquisque lecta ista disceptatione

Jovem Lapidem non juraverit, me mihi ipsi videri grande, grave, graphicum & memorabile Cartesianismi Columen, pipuloque ut ceritem ideo me differet? Et cum sciamus huic sectæ hodierno die a longe plurimis, iisque domi meæ potentissimis contradici, quid exspectem, quam horum liventes oculos, sive odia, ne figurate loquar, quibus alioqui satiata est anima mea? Sed ne sic quidem male, ajebat ille. Vobis Cantonibus, Te & Cl. *Suicero* contentus ero, maxime si tanto impensius mihi favere velitis. Nec enim dissimulem, id ego operæ meæ pretium reconciliationi vestræ debere unice cupio, ut per Cl. *Suicerum* Tibi commendatus aliquo tuo favore indignus non videar. Tuum est, V. E. [ut modum faciam obstrependi] meam stultitiam, infantiam καὶ Παρρησίαν εὐμενῶς δεχέσθαι & meminisse profecta omnia ab animo, valde quidem simplici, sed valde bono, & qui se Tui mordicus observantissimum comprobare quovis modo paratissimus est. Deum T. O. M. fideliter rogo, ut Te illustre atque invidendum Patriæ sy-
 dus ejus & Ecclesiæ bono quam diutissime incolumem lætumque fervet. Ita Vale in illo!
 Rescripsi 7. Martii st. v. Anni. 1700. Rorbaci in agro Tigurino.

Excellentissimi ac Celeberrimi Nominis Tui
 humillimus & verissimus Cultor

Gotthardus Heideggerus.